



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.**

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex  
maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis  
opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè  
explicantur.

**Gavanti, Bartolommeo**

**Venetiis, 1647**

De Dominicis Quadragesimae. 11.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9521**

6 Extra Chorum non tenemur ante comestionem recitare Vesperas. quia Concil. Cabilon. intelligitur de publica in Choro recitatione; cui tanren congruū est, vt conformetur in priuata quoque Vesperarum recitatione.

De Dominicis Quadragesimæ.  
Cap. XI.

1 **I**nuitatorium Dom. prima, *Non sit vobis vanum, &c.* composuit Amalar. ex. Vnion Auctore Ligni vitæ lib. 5. & ille ipse meminit, de Ord. Antiph. cap. 35. vbi docet tamen se transtulisse hoc Inuitatorium in hanc Domin. à media Quadragesima, in qua ab alijs cantabatur. Primæ Lectiones interrumpunt quidem Lectiones de Genesi; sed indicant fructus pœnitentiæ, ex Durand. lib. 6. cap. 32. Responsoriorum, ex Amalar. de Ord. Antiphon. cap. cit. sunt clauis tituli de conuersatione, & statu totius Quadragesimæ. Oportet enim hoc tempore corrigere mores, ieiunare, plorare, parientes esse, vigilare, pœnitere, eleemosynam dare, quæ omnia in Responsorijs continentur.

2 Frequentatur Psalmus nonagesimus, *Qui habitat, &c.* à quo plures versus hoc tempore desumuntur; quia, inquit Amalar. lib. 4. cap. 19. sumus in his diebus in maiori certamine tentationum; vel inde est, quia malè vsurpauit hunc Psalmum Satanas tentando Christum; contra quæ repetimus eundem in proprio sensu: *Angelis suis mandauit, &c.*

3 Antiphonarum ad Laudes: *Cor mundum, &c.* meminit Amalar. de Ord. Antiph. cap. 36.

4 Cantabatur in diebus nostris Hymnus, *Ad preces nostras*, in secundis Vesperis, qui non erat antiquus, & ratione metri scatebat erroribus; tùm nullum erat Festum, quod quatuor gauderet Hymnis ad primas Vesperas, Nocturnos, Laudes, & secundas Vesperas, præter Dominicas Quadragesimæ; & occupatis Ferijs secundis à Festo Duplici (quando Pascha occurrit die 22. Aprilis) eo Anno numquam recitabatur; quibus omnibus

D. Barth. Gauant. Tom. II.

consideratis in recognitione Breuiarij Clementina, de Breuiario fuit ademptus. De alijs tribus Hymnis diximus; Sect. 5. cap. 6. pag. 54.

5 In Feria secunda sequenti adsunt Capitula propria pro omnibus Horis feriabilibus Quadragesimæ, de quibus mentio est apud Durand. lib. 6. cap. 28.

6 De Quatuor Temporibus nihil fit in officio. Et de his iam diximus Tomo priore.

7 Dominica secunda cur habeat Evangelium Sabbati præcedentis, habes in Tomo priori. Fortè legitur, quia initio Martij transfiguratus est Christus; si Beletio credimus, de diu. offic. cap. 144. Anno Christi vltimo: & in Dominica, hora quarta diei, vt scribit S. Epiph. cit. ab Azor. part. 2. lib. 1. cap. 15. quest. 4. Antiphonæ ad Laudes, *Domine labia mea, &c.* habentur apud Amalar. de Ord. Antiph. cap. 38.

8 Dominica tertia habet easdem Antiphonas ad Laudes, *Fac benigne, &c.* quas recenset idem Amalar. cap. 40.

9 In sequenti Fer. quinta est Oratio singularis de SS. Cosma, & Damiano; quia Statio fit in eorum Ecclesia, quam de dicauit Romæ in Foro Boario Felix IV. ex Rupert. lib. 8. cap. 2. Sed in lib. Sacramentorum S. Gregorij non habetur hæc Collecta; & aliàs diximus à Gregorio II. data esse officia Ferijs quintis Quadragesimæ quis igitur Collectam composuerit, est incertum; cum in lib. cit. Sancti Gregorij I. habeatur Oratio alia cum Secreta, & Post communionem, quarum auctor dicitur Gregorius II. ergo non est Gregoriana, neque Primi, neque Secundi. Non tamen impedit commune Suffragium, de iisdem Sanctis in Ecclesia eorundem, qua de re in tomo 1. pag. 231.

10 Dominica quarta dicitur *Latere*, sicut in Aduentu Dominica tertia, *Gaudete*, quia Missæ harum Dominicarum habent Introitum, *Latere Ierusalem, &c.* *Gaudete in Domino*: & cum lætitiā indicent, Dalmaticis vtuntur ministri in solemnibus Missis; vt alibi diximus.

G De